

xvj

erroribus, professus, Romam ad CLEMEN-  
TEM cum opportunis monumentis & li-  
teris Legatum misit, ut is actum suo  
nomine pro more confirmans, debitam  
Pontifici Maximo obedientiam exhibe-  
ret, atque ab eodem Patriarchalis Di-  
gnitatis confirmationem cum Insignibus  
exoraret. Universis igitur rite proba-  
tis, Apostolicum Senatum Pontifex ha-  
bendum indixit, in quo lectis Samuelis  
litteris e Græco Latine redditis, una  
cum publicis tabulis, quibus Patriarcha  
post schisma damnatum, fidem ortho-  
dōxam confessus, Romanæ Eccle-  
siæ consociationi adhærere se affirma-  
bat, ei Dignitatis confirmationem, ac  
Pallium, Insigne plenitudinis Pastoralis  
potestatis, impertiit; peramantes de-  
mum ad ipsum Patriarcham scripsit li-  
teras, quibus conceptum ex sua ad Ca-  
tholicam Ecclesiam accessione gaudium  
exposuit, fuseque celebritatem pompæ  
descripsit, qua Legatum ipsius, alios-  
que Græcos Monachos itineris socios,  
coram